nominis vestigium prorsus abolitum iri pertimeri
possit; Ssmus Dnus Noster volens ex debito Pastora-
lis officij, ac sibi impositæ universalis omnium
Ecclesiarum sollicitudinis seu muneris in tanta
necessitate partes omnes explere, maturâ desuper
habitâ deliberatione, censuit ubi ordinaria reme-
dia nequaquam profuisse compertum est, etiam
extraordinaria adhibere, malumque magis præcave-
re, quam expectare curandum; Quamobrem præ-
senti Decreto, ultra pœnas à Sacris Canonibus con-
tra non residentes constitutas pœnam quoque
Suspensionis ab executione Ordinis Epalis etiam
in propria Diœcesi ipso facto, et absque alia decla-
ratione incurrendam vigore præsentium futuris pro tempo-
re eiusdem Ecclesiæ Episcopis imposuit, atque impo-
nitur, à qua nullius etiam rationabilis, atque
legitimæ Causæ, vel impedimenti allegatio eosdem
præservare, ac excusare valeat, nisi à Sede Aptica
vel eiusdem in Regno Poloniæ Nuncio residente
fuerit in scriptis approbata. Decernit insuper
ac declarat Sanctitatis Suæ mentis nequaquam esse
eosdem Epos, si Regulares fuerint ab obligationibus
Professioni Regulari, quam emiserunt, annexis
post adeptionem Dignitatis, ac Muneris Epalis
ullatenus absolvere, ac eximere, nisi quatenus
eiusdem muneris, ac Curæ Pastoralis exercitio
impedimento sint, ideoque quoties cumque ex
ipsorum culpa (quod absit) sive ex qualibet